



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hvmanae Salvts Monvmenta

Arias Montano, Benito

Antverpiae, [1571?]

In tabulam Ieremiæ Scriptoris. Ode Sapphica XXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68924](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68924)

In tabulam Ieremiæ Scriptoris.

ODE SAPPHICA XXVII.

SPIRITV feruens iuuenis, potensq;
Robore immota superare mentis
Fortium, priscis memorata ab annis,
Corda virorum:

Cui nec ignauæ puero inuenta,
Nec sibi tantum decus arroganti,
Creditor munus prius adparatum
Matris ab aluo:

Tu doces quantum valeat superni
Efficax verbum imperij, fideles
Cum subit mentes, penetratq; in altam
Pectoris arcem.

Nam nec immites odiis tyranni,
Nec furor vulgi miseris iniqui,
Nec tibi ignota expedienda gentes
Acta retardant;

Quin per insanos hominum nocentium
Impetus, victor, penitusq; compos
Destruas, vellas, moueas, reponas,
Edificesq;.

Crescit in duro tibi vis labore;
Carceris diri tenebras lacusq;
Et famem fortis superas, minasq;
Mortis amaræ.

Sic & obiectos penetrare monteis
Nouit, ac rupes, & adacta in altos
Turrium ascensus monumenta, clari
Fulminis ardor.

Integrum ac fortem celebremq; dictis,
Quem sua inuisum male presserat gens,
Seruat, & cultu meliore Princeps
Suscipit hostis.

HONESTÆ INDOLIS DECURSUS INTEGR.

*Quid nō ferre potest, quid nō superare, supernis
Qui se permisit nutibus ac monitis?*



LEGATO STRENO FORTI POS.

In